

a nobis sciri posse. Etenim cum ea, quae creaturis insunt, de Deo negantur, Ipsi excellentia perfectionis quovis defectu immunis adscribitur, ac proinde illae negationes abundantiam, et excessum praeseferunt. Apposite sanctus Damascenus, postquam enuntiavit « convenientius esse ita de Deo aliquid praedicari, ut Ei omnia detrahantur, quippe nihil est eorum, quae sunt »; subdit, « non ut nihil sit, sed ut sit supra omnia, quae sunt, immo vero supra ipsum esse ¹ ».

74. Nisi quod, ut ex iam dictis patescit, haec, quam de summa Natura Divina per rationem naturalem nobis comparamus, cognitio non nisi admodum manca, et rudis est; siquidem mens nostra ad naturalem cognitionem Dei non nisi per similitudines a rebus creatis arreptas assurgere potest; *per effectus autem non proportionatos causae non potest perfecta cognitio de causa haberi* ². Quapropter « ultimum, et perfectissimum nostrae cognitionis in hac vita » in hoc consistit, quod « de Deo cognoscimus quia est, et quod causa aliorum est, et aliis supereminens, et ab omnibus remotus ³ ».

ART. V. *Quaenam ex Divinis Perfectionibus veluti Essentiam Dei constituens a nobis intelligatur*

75. Perfectio illa, quam primam in unaquaque re esse concipitur, ac veluti radicem ceterarum ipsius perfectionum, atque per quam res a ceteris distinguitur, *essentia* appellatur. Iam etsi perfectiones omnes in Deo, uti mox demonstrabimus, Eius Essentiam constituent, tamen nobis, qui non possumus Eas uno mentis intuitu complecti, inquirere licet, quaenam ex ipsis tamquam Divinam Essentiam constituens spectari possit.

76. Prop. *Aseitias, sive esse a se tamquam Essentiae Divinae constitutivum assignari potest.*

Probatur. *Aseitalem* tamquam aliquid primum in Deo esse concipimus; nam si aliud prius *aseitate* in Deo esse cogitari posset, *esse a se* tamquam ab alio fluens intelligendum foret; id quod absurdum est. Deinde *Aseitias* est ratio Deum distinguens ab omni eo, quod Deus non est; nam, ut recte s. Thomas inquit, « ex hoc ipso *Esse Dei* ab omnibus aliis distinguitur, quia nihil Ei addi potest ⁴»; ideo autem nihil Deo addi potest, quia

¹ De Fide orthod., lib. I, c. 4. — ² Cf p. 300.

³ Contr. Gent., lib. III, c. 49. — ⁴ Ibid., lib. I, c. 26.

est Ipsum esse, et proinde *Ens a se*. Denique *Aseitias* ut ex primo articulo constat, tamquam ratio intelligitur, ex qua omnes perfectiones in Deo esse debeant. « Ex hoc, ait idem Aquinas, quod Deus est ipsum esse per se subsistens, oportet, quod totam perfectionem essendi in se contineat ¹ ». Ergo.

77. Accedit, quod, docente s. Hilario, « nobis loquendum non aliter de Deo, quam ut Ipse ad intelligentiam nostram de se locutus est ² ». Iam Moysi interroganti, quis esset, respondet: *Ego sum, qui sum. Sic dices filiis Israel: Qui est, misit me ad vos* ³. Quibus verbis tamquam proprium Naturae suae characterem, ens per essentiam, ab alio independens, nempe *aseitatem* a nobis concipiendam esse designavit ⁴.

CAPVT III.

De attributis Dei, et primum de iis, quae absoluta dicuntur

78. Perfectiones, quas ab Essentia Dei secundum nostrum concipiendi modum manare intelligimus, *Attributa* Dei nominamus. Ex iis quaedam dicuntur absoluta, uti Sapientia, Bonitas, atque hoc nomine ab iis distinguuntur, quae appellantur *relativa*, quia aliquam Dei perfectionem significant cum relatione ad creaturas, vel potius cum relatione creaturarum ad Deum; siquidem, uti alibi adnotavimus ⁵, creaturae realem ad Deum habent relationem, non Deus ad illas. De his pauca attingemus, ceteraque Theologis disputanda relinquimus.

ART. I. *De simplicitate Dei*

79. Nomine *simplicitatis* illud attributum intelligimus, quo a Deo quaecumque compositio sive *physica*, sive *metaphysica*, sive *logica* removetur. Compositio *physica* ea est, quae ex partibus re ipsa distinctis exurgit. *Metaphysica* pertinet ad ea omnia, in quibus *potentia* et *actus*, *substantia* et *accidentia*, *essentia* et *existentia*, atque *attributa* distinguuntur. Denique compositio *logica* dicitur de rebus, quatenus hae sub aliquo genere continentur, ita ut ex genere, et differentia constent.

¹ I, q. IV, a. 2 c. — ² De Trin., lib. V.

³ Exod. III, 14. — ⁴ Cf s. Damasc., De Fide orthod., lib. I, c. 12.

⁵ Cf Log. par. I, c. I, art. 8, p. 18, vol. I.

80. Prop. *Quodvis compositionis genus a Deo removendum est. Probatur ex eo, quod Deus summe perfectus est. Sane « in quolibet genere tanto aliquid est nobilius, quanto simplicius; sicut in genere calidi ignis, qui non habet aliquam permutationem frigidi. Quod igitur est in fine nobilitatis omnium entium, oportet esse in fine simplicitatis. Hoc autem, quod est in fine nobilitatis omnium entium, dicimus Deum. . . Nulla igitur compositio Ei accidere potest ⁴ ».*

81. Speciatim autem quoad singulas compositionis species, tres sequentes propositiones demonstramus:

Prop. 1^a. *Quaevis physica compositio Deo repugnat.*

Probatur ex eo, quod Deus est primum Ens. Re quidem vera, « omne compositum posterius est suis componentibus. Primum ergo Ens, quod Deus est, ex nullis compositum est ² ». Insuper, « omnis compositio indiget aliquo componente, si enim compositio est, ex pluribus est; quae autem secundum se sunt plura, in unum non conveniunt, nisi ab aliquo componente uniantur. Si igitur compositus esset Deus, haberet componentem; non enim Ipse se ipsum componere posset, quia nihil est causa sui ipsius, esset enim prius se ipso: quod est impossibile. Componens autem est causa efficiens compositi. Ergo Deus haberet causam efficientem; et sic non esset Causa Prima ³ ».

82. Ex hoc conficitur, 1^o Deum non posse esse corpus; quodlibet enim corpus est ex partibus compositum. Deinde nullum corpus potest esse summe perfectum; nam vel est vivens, vel non vivens. Certum est autem corpus vivens perfectius esse corpore non vivente. Corpus vero vivens non vivit qua ratione corpus est, alioquin omnia corpora viverent; vivit ergo per aliquod, quod non est corpus; hoc autem ipsum nobilius est corpore; fieri ergo non potest, ut Deus sit corpus, cum sit a seipso summe perfectus ⁴. 2^o Deum non posse esse formam corporis; nam « forma corporis non est ipsum esse, sed essendi principium. Deus autem est ipsum esse. Non ergo est Deus forma corporis ⁵ ». Praeterea forma corporis, cum naturaliter exoptulet conjunctionem cum corpore, ens nobilissimum esse nequit. Cum igitur Deus sit ens nobilissimum, non potest esse alicuius forma ⁶.

⁴ *Contr. Gent.*, lib. I, c. 18. — ² *Contr. Gent.*, l. c. — ³ *Ibid.*

⁴ *Ibid.*, c. 20. — ⁵ *Ibid.*, c. 27. — ⁶ *Ibid.*

3^o Nullam esse in Deo compositionem ex materia et forma. Et enim « omne compositum ex materia, et forma est perfectum, et bonum per suam formam; unde oportet, quod sit bonum per participationem, secundum quod materia participat formam. Primum autem, quod est bonum, et optimum, quod Deus est, non est bonum per participationem, quia bonum per essentiam prius est bono per participationem; unde impossibile est, quod Deus sit compositus ex materia, et forma ⁴ ».

83. Quod si Deus neque corpus, neque forma corporis esse potest, *spiritus purissimus* optimo iure appellatur. « Non ergo, perbelle ad hanc rem Origenes inquit, aut corpus aliquod, aut in corpore esse putandus est Deus, sed intellectualis natura simplex, nihil omnino in se adiunctionis admittens, uti ne maius aliquid, et inferius in se habere credatur, sed ut sit ex omni parte *monas*, et ut ita dicam, *ενας*, et mens, ac fons, ex quo initium totius intellectualis naturae. . . est ² ».

84. Prop. 2^a. *Amovenda est a Deo quaevis compositio metaphysica.*

Probatur. In primis, nulla est in Deo compositio ex *potentia*, et *actu*. Etenim in ente composito ex potentia et actu necesse est, ut potentia reducatur ad actum ab alio existente in actu.

⁴ I, q. III, a. 2 c. Huic Divinae Simplicitati non obest mysterium Trinitatis, quamvis fides in eo agnoscat Tres Personas realiter distinctas, et in eadem essentia intime coniunctas; neque mysterium Incarnationis, in qua Verbum coniungitur *hypostatice* cum humanitate. Nam, ut recte annotavit s. Thomas (*In lib. I Sent.*, Dist. VIII, q. IV, a. 1 ad 4), ut Tres Divinae Personae efficienter compositionem cum Essentia, deberent uniri inter se sub ea ratione, qua distinguuntur, vel distingui sub ea ratione, qua uniantur, cum compositio sit distinctorum unio. At Personae Divinae sub ea ratione, qua distinguuntur, non uniantur, distinguuntur enim per relationes, quae non uniantur, sed opponuntur; neque distinguuntur sub ea ratione, qua uniantur; uniantur enim in Essentia, a qua non distinguuntur. In mysterio autem Incarnationis Verbum Divinum non venit in compositionem per modum partis materialis, vel formae informantis, et inhaerentis, hoc enim summam imperfectionem involveret; sed per modum termini completis, actuantis, et perficientis humanitatem, quod puram dicit in Illo perfectionem. Cf Gonet, *Manuale Thom.*, lib. I, tract. I, c. 5.

² *De principiis*, lib. I, c. 1. Anthropomorphitae, qui, ut s. Augustinus inquit (*De util. credendi*, c. I, n. 1), « nimis in haec corporalia progressi atque lapsi, nihil aliud putant esse, quam quod istis quinq. notissimis nunciis corporis sentiunt », Deum ex anima, et corpore constare ex eo

Atqui Deus, cum sit Ens a se, non habet actualitatem essendi ab alio, sed est ipsum Esse in se subsistens. Ergo *Esse* Dei ex actu, et potentia non componitur¹. Accedit, quod cum actus determinet, et perficiat potentiam, si in Deo potentia, et actus distinguerentur, in Ipso capacitas aliquam determinationem, et perfectionem recipiendi cogitari posset; id quod ab Eius infinita perfectione omnino abhorret².

85. Secundo. Nulla est in Deo realis distinctio inter essentiam, et existentiam. Etenim ea, in quibus existentia ab essentia realiter distinguitur, non existunt per ipsam suam essentiam, sed habent esse per participationem. Atqui Deus per ipsam suam essentiam existit. Ergo. Praeterea, cum existentia sit actus essentiae³, si essentia Dei ab Eius existentia distingueretur, illa ad istam se haberet ut potentia ad actum, ac proinde Deus realiter ex actu, et potentia componeretur; id quod, uti ostendimus, absurdum est⁴.

86. Tertio. Attributa Divina neque ab Essentia, neque ab se invicem realiter distinguuntur. Re quidem vera, Deus per ipsam suam Essentiam perfectionem essendi, ac proinde omnes perfectiones, sive attributa habet. Ergo Attributa Dei ab Eius Essentia non distinguuntur. Adhaec, si Attributa ab Essentia Dei distinguerentur, haec illam perficerent, novumque esse ipsi adderent: quod sane Divinae Naturae prorsus repugnat⁵.

87. Quod si Attributa Dei ab Essentia non distinguuntur, ea ne inter se quidem distingui consequitur⁶. «In Deo est sapien-

arguant, quod homo ad imaginem Dei factus esse dicitur. At contra, homo ad imaginem Dei factus est non quoad corpus, sed quoad animam. «Invisibilis Dei imago, inquit s. Ambrosius, non in eo est, quod videtur, sed in eo utique, quod non videtur»; *In Ps. CXVIII.*

¹ « Si aliqua res sit, quae sit suum esse, quod proprium Dei est, non est ibi potentia, et actus, sed actus purus»; *Qq. dispp.*, q. un. *De Anim.*, a. 6 c. — ² Cf *Op. cit.*, q. un. *De Sp. cr.*, a. 1 c.

³ Cf *Ontol.*, c. II, art. 1, p. 13. — ⁴ Cf s. Thom., I, q. III, a. 4 c.

⁵ « Perfectio Divini Esse non attenditur secundum aliquid additum supra ipsum, sed quia ipsum secundum se ipsum perfectum est. Bonitas igitur Dei non est aliquid additum suae substantiae, sed sua substantia est sua bonitas»; *Contr. Gent.*, lib. I, c. 38.

⁶ Nos hic non loquimur de attributis, quae relativa ab intra appellantur, nempe *Paternitas*, et *Filiatio*, *Spiratio activa*, et *Spiratio passiva*, Paternitas enim et Filiatio, item Spiratio activa et passiva inter se invicem opponuntur, atque ideo inter ipsas realem distinctionem intercedere Fides docet.

tia, bonitas, et huiusmodi, quorum quodlibet est ipsa Divina Essentia, et ita omnia sunt unum re¹. Id ipsum ex eo amplius declaratur, quod attributa inter se distincta diversos modos essendi significant, quos profecto in Deo, qui est ipsum *Esse*, ponere absurdum est².

88. At vero, etsi Essentia Dei ab Eius Attributis, atque Attributa ab se invicem realiter non distinguantur, cavendum tamen est ab Eunomianorum, aliorumque errore, qui nullam distinctionem *rationis* inter Attributa Divina recipere volebant, sed omnia permiscebant, quae de Perfectionibus Divinis dici, aut cogitari possunt, asserentes omnem inter ea distinctionem in sola nominum prolacione consistere, et cum vocibus dissolvi, et evanescere. Sane inter Divina Attributa distinctio illa, quae *virtualis* dicitur, agnoscenda est³. Etenim variis, et distinctis conceptibus Divinas perfectiones cogitamus, atque huius conceptuum varietatis fundamentum in ipso Deo est; siquidem Divina Essentia, et Eius Attributa, etsi in ipso Deo una res sint, tamen res illa est virtualiter multiplex, utpote aequivalens pluribus perfectionibus creatis realiter distinctis, et diversos producit effectus, qui a causis re ipsa distinctis produci solent⁴. Id ex eo confirmatur, quod, observante Aquinate nostro, nomina Divinorum Attributorum non sunt synonyma, sed etsi omnia eandem perfectionem, atque entitatem significant, non tamen illam sub eadem omnino ratione significant; quapropter conceptibus, qui his nominibus exprimuntur, diversae rationes in ipso Deo respondent, ita ut summa Dei perfectio non solum ob nostri intellectus debilitatem, sed etiam ob ipsam Divinae perfectionis eminentiam uno conceptu concipi, atque uno no-

¹ *In lib. I Sent.*, Dist. II, q. I, a. 2 sol.

² « Deus, egregie ad hanc rem s. Augustinus inquit, multipliciter quidem dicitur magnus, bonus, sapiens, beatus, verus, et quidquid aliud non indigne dici videtur; sed eadem magnitudo Eius est, quae sapientia; non enim mole magnus est, sed virtute; et eadem bonitas, quae sapientia, et magnitudo, et eadem veritas, quae illa omnia; et non est ibi aliud beatum esse, et aliud magnum, aut sapientem, aut verum, aut bonum esse, aut omnino ipsum esse»; *De Trin.*, lib. VI, c. 7, n. 8. Cf s. Bern., *In Cant.*, *Serm.* 80, et s. Anselm., *Monol.*, c. 16.

³ Cf *Ontol.*, c. III, art. 2, p. 21.

⁴ Hinc, s. Augustinus, in Deo, ait, Unum aliquid est, quod omnia valeat; *De Trin.*, lib. XV, c. 17, n. 28.

mine nominari non possit. « Pluralitas istorum nominum non tantum est ex parte intellectus nostri formantis diversas conceptiones de Deo, quae dicuntur diversae rationes, sed etiam ex parte ipsius Dei, in quantum scilicet est aliquid in Deo correspondens omnibus istis conceptionibus, scilicet plena, et omnimoda Ipsius perfectio ¹ ».

89. Quarto denique: Nulla in Deo est compositio ex subiecto, et accidentibus. « Nihil in Deo, aiebat s. Augustinus, secundum accidens dicitur ² ». Re quidem vera « accidens comparatur ad subiectum, sicut actus ad potentiam, cum sit quaedam forma ipsius ³ ». In Deo autem, ut iam ostensum est, nulla esse potest compositio ex potentia, et actu. Insuper, accidens aliquem modum essendi denotat, qui essentiae advenit. Atqui Deus ex ipsa sua Essentia perfectionem essendi habet, et ideo nihil Eius Essentiae advenire potest. Ergo ⁴.

90. Prop. 3^a. *Compositio logica, ex genere nempe et differentia, in Deo admittenda non est.*

Probat. Quoniam differentia determinat, et perficit genus ⁵, genus est veluti perfectibile, et differentia veluti perficiens, sive genus comparatur ad differentiam tamquam id, quod est in potentia, ad id, quod est actu; quapropter in iis, quae ex genere, et differentia componuntur, potentia, et actus distinguenda sunt. Atqui, uti paulo ante ostendimus, Deus, cum sit actus purissimus, nullo modo ex potentia, et actu constat. Ergo.

91. Praeterea, Deus infinitam perfectionem totius esse in se complectitur. Atqui illud, quod ex genere, et differentia constat,

¹ *In lib. I Sent., Dist. II, q. I, a. 3 sol.* Haec autem virtualis inter Divina attributa distinctio maximam Dei simplicitatem, nedum extenuat, solidius obfirmat. Etenim « hoc ipsum ad perfectam Dei unitatem pertinet, quod ea, quae sunt multipliciter, et divisim in aliis, in Ipso sunt simpliciter, et unite » (I, q. XIII, a. 4 ad 3). Quod ut clarius intelligatur, advertendum est distinctionem rationis ratiocinatae, quae est inter Divina Attributa, non ita intelligendam esse, ut unum aliud excludat, sed ita ut unum aliud *implicite* complectatur. Cf. Gonet, *Op. cit.*, tract. I, c. 4, § 1, p. 62.

² *De Trin.*, lib. V, c. 5, n. 6. — ³ *Qq. disp.*, *De Pot.*, q. VII, a. 4 c.

⁴ « In Deo nulla est differentia habentis, et habiti, vel participantis, et participati; immo Ipse est et sua natura, et suum esse; et ideo nihil alienum, vel accidentale potest Ei inesse »; *ibid.*

⁵ Cf. *Logica*, n. I, c. I, art. 2, p. 11, vol. I.

ad aliquod genus, et ad ea, quae illius generis sunt propria, determinatur; ac proinde tamquam infinitum, et totum esse in se habens intelligi nequit. Ergo ¹.

92. Denique, si Deus in aliquo genere esse poneretur, Ipsum, et res ab Eo creatas in aliquo convenire dicendum foret, nempe vel in esse, vel in *substantia*. Atqui 1^o ens Deo, et rebus creatis commune esse nequit. Nam, praeterquam quod ens, ut in *Ontologia* ² demonstravimus, tamquam genus assignari nequit, certe non potest de pluribus tamquam genus, ac proinde tamquam ipsis commune praedicari aliquid, quod secundum diversam rationem ad illa pertinet. Atqui Deus, et res ab Eo creatae secundum ipsam rationem entis differunt; esse enim in Deo, secus ac in creaturis, idem est, ac essentia. Ergo ³.

2^o Neque substantia potest esse genus, in quo Deus, et creaturae conveniunt. Etenim genus secundum eandem rationem de omnibus, quae ambit, inferioribus, praedicatur. At esse *substantiam* diversa prorsus ratione Deo, et creaturis convenit. Sane, in creaturis esse substantiam significat alteri convenire, sive subesse, tum quia in creaturis substantia est subiectum, seu

¹ Cf. s. Thom., *Qq. disp.*, *De Pot.*, q. VII, a. 3. Qua in re idem Aquinas monet ex eo, quod Deus ab aliis rebus differat, « non sequi quod aliqua differentia differat, sed quod differat ab aliis per suam substantiam; hoc enim necesse est in primis, et simplicibus dici; homo enim differt ab asino, rationali differentia; rationale autem ulterius non differt ab asino aliqua differentia, quia sic esset abire in infinitum, sed seipso »; *ibid.*, ad 2.

² Cap. VI, art. 2, p. 39.

³ Exinde nullo negotio perspicitur nomen *entis* absolute acceptum Deo dumtaxat convenire; quia, quemadmodum s. Thomas advertit, hoc nomen, *Qui est*, quod ipsemet Deus sibi dedit, esse absolutum, sive totum significat, cum reliqua omnia, ens *particulatum*, sive aliquid entis denotent (*In lib. I Sent.*, Dist. VIII, q. I, a. 1 ad 4). Hic autem advertendum est, nomen *entis*, si non secundum communem significationem, certe secundum aliquam analogiam, sive similitudinem Deo, et rebus ab Eo creatis convenire. Nam Deus proprie, et primo dicitur *esse*, quia suum esse ab alio non habet, sed est ipsum suum esse; res creatae autem nominantur esse, quia esse a Deo habent, ideoque ipsius *Esse* Divini similitudinem praeserferunt (cf. Henr. Gand., *Op. cit.*, art. XXI, q. II, n. 7). Hinc s. Augustinus asseruit res creatas non omnino esse, quia non sunt id, quod Deus est, nec omnino non esse, quia similitudines *τὸν Esse* Dei suat. « Et inspexi, ait, cetera infra Te, et vidi nec omnino esse, nec omnino non esse; esse quidem, quoniam abs Te sunt; non esse autem, quoniam id, quod es, non sunt »; *Conf.*, lib. VII, c. 11, n. 17.

substratum accidentium; tum quia in creaturis esse substantiam, sive non esse in alio, subest essentiae, seu rei; nempe significat determinatum modum, quo res existit, ita ut res determinetur a non esse in alio, tamquam magis universale a minus universali. E contrario, in Deo, cuius « proprius modus essendi est, ut sit suum esse subsistens ¹ », nihil, quod alteri subest, atque nihil, quod Ei, tamquam accidens, inhaeret, esse, et intelligi potest. « Nomen substantiae, ait s. Thomas, imponitur a stando; Deus autem nulli substat ² ». Quare, cum categoria substantiae e rebus finitis in Deum transfertur, duo, uti Henricus Gandavensis advertit, in ea mutantur, quae aliquam imperfectionem habent, et tertium manet, quod perfectionem denotat. Ea, quae mutantur, sunt, primo, quod substantia Divina, secus ac substantia creata, esse ab alio non accipit; secundo, quod non est, uti substantia creata, subiectum accidentium. Illud vero manet, quod esse in alio non habet, seu quod in se subsistit ³. Quare Scholastici post Dionysium Areopagitam ⁴, et Bœtium ⁵, ut hunc perfectum, quo Deus substantia est, modum designarent, Ipsum non tam substantiam, quam supra omnem substantiam dicendum esse sanxerunt ⁶.

93. Ex hac, quam demonstravimus, tertia propositione, tamquam corollarium, deducitur haud posse Deum definiri: « Omnis enim diffinitio ex genere, et differentia constat...; ostensum est autem quod Divina Essentia non concluditur sub aliquo genere... Unde non potest esse Eius aliqua diffinitio ⁷ ».

¹ I, q. XII, a. 4 c. — ² In lib. I Sent., Dist. VIII, q. IV, a. 2 sol.

³ Op. cit., a. XXXII, q. V, n. 19. Cum haec ita se habeant, liquet ss. Patres, et Scholasticos pugnancia secum haud composuisse eo quod Deum esse substantiam modo asseruerunt, modo negarunt. Etenim, cum ipsi substantiam, prout denotat esse, quod essentiae subest, et quod subiectum accidentium est, considerarunt, Deum non posse dici substantiam docuerunt. At cum consideraverunt substantiam, prout non esse in alio denotat, non modo Deum esse substantiam, sed etiam quidquid in Deo est, non nisi substantiam esse statuerunt (cf s. Aug., De Trin., lib. VII, c. 4, n. 9, et De Fide, et Symb., c. 9, n. 20); immo Deum potiori iure, quam ulla res creatas, substantiam dicendum esse, quippe quod Ipsi perfectus actus subsistendi convenit. Cf s. Bonav., In lib. I Sent., Dist. XXIII, a. 1, q. 2 resol.

⁴ De Divin. Nomin., c. 1. — ⁵ De Trin., lib. I.

⁶ Cf s. Thom., Qq. dispp., De Pot., q. VII, a. 3 ad 4.

⁷ Comp. Theol., c. 26.

ART. II. De immutabilitate, atque aeternitate Dei

94. Nomen mutationis, aiente s. Thoma, ostendit « esse aliquid aliter se habens nunc, quam prius ¹ ». Iam ex summa Dei simplicitate, et infinita perfectione mutationem cuiuscumque generis ab Ipso amovendam esse primum est intelligere.

95. Prop. Neque in natura Dei, neque in Eius decretis ulla mutatio adstrui potest.

Probatur prima pars. 1° Deus cum sit primum Ens, est ipsum esse absque alicuius potentiae permixtione. Atqui ipsa notio mutationis aliquam praesertit potentialitatem, nam « omne, quod quocumque modo mutatur, est aliquo modo in potentia ² ». Ergo. 2° Subiectum, quod mutatur « quantum ad aliquid manet, et quantum ad aliquid transit; sicut quod movetur de albedine in nigredinem, manet secundum substantiam ³ »; ac proinde quamdam compositionem saltem ex substantia, et accidente in se admittit. Atqui Deus, utpote simplicissimus, quaecumque respuit compositionem. Ergo. 3° Illud, quod mutatur, vel aliquam formam acquirit, vel amittit. Atqui nulla nova perfectio Deo accedere potest, et nulla demi, cum Deus sit simpliciter infinitus, et omnes perfectiones essentia sua in se continet. Ergo ⁴.

96. Probatur altera pars. Mutatur decretum voluntatis, quatenus cognoscitur eius mutandi ratio, quae antea ignorabatur; quocirca innovatio consilii voluntatis ex eo oritur, quod intellectus ab initio non omnia diligenter perpendit, nec omnia singillatim novit. Atqui Divino Intellectui omnes rerum connexiones in qualibet temporis circumstantia possibles innotescunt. Ergo.

97. Obiic. 1° Deus poenitere, et irasci dicitur. Atqui haec maximum mutationis argumentum sunt. Ergo.

98. Resp. Dist. mai., extrinsece, et quoad effectum, conc. mai.,

¹ Contr. Gent., lib. II, c. 17. — ² I, q. IX, a. 1 c. — ³ Ibid.

⁴ Hoc Dei attributum s. Bernardus praeclaris his verbis declaravit: « Deus hanc sibi vindicat meram singularemque suae Essentiae simplicitatem, ut non aliud, et aliud, non alibi quoque, et alibi, sed ne modo quidem, et modo inveniatur in Ea. Nempe in semet manens, quod habet, est; et quod est, semper et uno modo est. In Ea et multa in unum, et diversa in idem rediguntur, ut nec de numerositate rerum sumat pluralitatem, nec alterationem de varietate sentiat »; In Cant., Sermon. 80, n. 5.

intrinsicè, et quoad affectum, *neg. mai.*, sub eadem *dist. neg.* et *conc. min. Neg. cons.* « Neque enim, ut egregie monet s. Ambrosius, Deus cogitat sicut homines, ut aliqua Ei nova succedat sententia; neque irascitur, quasi mutabilis: sed ideo haec leguntur, ut exprimatur peccatorum nostrorum acerbitas, quae Divinam meruit offensam, tamquam eo usque increvit culpa, ut etiam Deus, qui naturaliter non movetur aut ira, aut odio, aut passione ulla, provocatus videatur ad iracundiam ¹ ».

99. Obiic. 2^o Deus alternis vicibus diversa, imò opposita vult. Ergo mutabilis est.

100. Resp. *Dist. ant.*, ita ut successio illa, et varietas spectet effectus Divinae Voluntatis, *conc. ant.*, ipsum actum Voluntatis Dei, *neg. ant. Neg. cons.* Sane, etsi ea, quae Deus decernit, sibi succedant, et interdum cum mutua oppositione eveniant, tamen Voluntas Divina, quippe quae aeternitate, et unico actu voluntatis illa decernit, immobilis permanet. « Aliud est, scite ad hanc rem monet s. Thomas, mutare voluntatem, et aliud est velle aliquarum rerum mutationem. Potest enim aliquis, eadem voluntate immobiliter permanente, velle, quod nunc fiat hoc, et postea fiat contrarium ² ».

101. Obiic. 3^o Deus, cum mundum in tempore creavit, certe a potentia ad actum transit. Atqui quisquis a potentia ad actum transit, mutatur. Ergo.

102. Resp., *neg. mai.* Enimvero, cum actio in Deo ab Essentia non distinguatur ³, Deus, cum aliquam rem creat, novum quidem producit effectum, sed non novam actionem ⁴; quapropter non transit de potentia in actum, sed ex eo ipso, quod in actu est, illas creat. Itaque, licet effectus Dei sint in tempore, tamen actio, qua illos producit, cum sit eadem, ac Essentia Eius, est aeterna, perinde ac Essentia. « Novitas autem, ait A-

¹ Lib. *De Noe, et Arca*, c. 4. Cf s. Thom., I, q. XIX, a. 7 ad 1.

² I, q. XIX, a. 7 cit. c.

³ « Deus non dicitur agens actione, quae est praedicamentum (seu non agit actione, quae dicit aliquid fluens ab agente, et cum motu), sed actio sua est substantia »; In *lib. I Sent.*, Dist. VIII, q. IV, a. 3 ad 3.

⁴ « Potest (Deus), inquit ad hanc rem s. Augustinus, ad opus novum, non novum, sed sempiternum adhibere consilium »; *De Civ. Dei*, lib. XII, c. 17, n. 2. Cf *ibid.*, c. 14, et lib. XI, c. 4, cuius haec conclusio est: « Sic ergo credant et mundum ex tempore fieri potuisse, nec tamen ideo Deum in eo faciundo aeternum consilium, voluntatemque mutasse ».

quinas, Divini effectus non demonstrat novitatem actionis in Deo, cum actio sua sit sua Essentia. Unde neque novitas effectus mutationem Dei agentis demonstrare potest ¹ ».

103. Ad penitiorum huius rei intelligentiam mente reputandum est, facere in Deo, idem esse, ac intelligere, et velle, quia Deus hoc ipso, quod aliquid intelligit, et vult, illud facit ². Hoc posito, perspicuum est Deum posse per intellectum determinare non solum quod aliquid sit, sed etiam quod sit certo tempore, proindeque velle non solum ut aliquid sit, sed ut certo tempore sit ³. Atqui voluntas Dei effectum per se producit, quia in Eo idem est velle, ac agere. Ergo Deus potest ab aeterno velle, ut aliquid in tempore fiat, quin aliquid novi velit, et agat, cum illud in tempore sit ⁴.

104. Inst. Cum Deus mundum in tempore condidit, Ipse factus est in tempore creator, dominus, rex, aliudque huiusmodi, cum nihil horum ante mundi molitionem esset. Atqui id sine aliqua mutatione Dei intelligi non potest. Ergo.

105. Resp. *Conc. mai.; neg. min. Neg. cons.* Namque, ut scite s. Methodius martyr observavit ⁵, ii, qui Deum mutatum esse censent ex eo quod in tempore factus est creator, dominus, rex, aliudque huiusmodi, pro certo, concessoque sumunt Deum ex mundi creatione aliquid perfectionis hausisse, proindeque esse perfectum non a se, sed a rebus subiectis, et creatis, ita ut sine rebus a se creatis imperfectus esset. Hoc autem sanctus Martyr veluti errorem, qui per se manifestus est, reiecit. Quo autem eius responsio intelligatur, memoria revocandum est relationes creatoris, domini, regis, aliasque, quas Deus, ob crea-

¹ *Contr. Gent.* lib. II, c. 35.

² Apposite Clemens Alex.: « Quanta est autem Dei potentia, cuius sola Voluntas est mundi creatio? . . . Is autem opera sua volendo conficit, Eiusque velle sequitur fieri »; *Cohort. ad Gent.*, c. 4.

³ Cf *Cosmol.*, c. VII, art. 2, p. 168.

⁴ Id s. Thomas declaravit hoc exemplo: « Non enim solum ars determinat, ut hoc tale sit, sed ut tunc sit, sicut medicus, ut tunc detur potus; unde, si eius velle per se esset efficax ad effectum producendum, sequeretur de novo effectus ab antiqua voluntate, nulla actione de novo existente. Nihil igitur prohibet dicere actionem Dei ab aeterno fuisse, effectum autem Eius non ab aeterno, sed tunc, cum ab aeterno disposuit »; *Contr. Gent.*, loc. cit.

⁵ *Excerpt. ex lib. De creatis*, c. 2.